COLLEGII AROMATARIORVM ALMAE VRBIS

Nominis Pharmacopolæ, & Seplaſiarii pro defenſione animaduerſio.

Ex legato Ill.mi Cocini



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M AE,

Apud Gulielmum Facciottum. MDCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

AROMATARIORVM
COLLEGIVM VRBIS.

MARSILIO CAGNATO
S. P. D.

LIBELLVM de Pharmacopolarũ officio ſuperioribus diebus à te cõſcriptum, & editum, Doctiſsimè Marſili, excepimus cum gaudio, putantes pro tua æquitate tamquam ab Imperatore militiam extolli, mili-

tes laudari, hoſque præceptis imbui. Verum periculoſum ſit nobis credere, ſi horum aliquid nos eſſe conſequutos dixerimus: ita enim militiam deicis noſtram: ita nos reddis abiectos; ita deſtituis documentis; vt parum abfuerit, quin cum Reip iactura, intermiſerimus noſtrum miniſterium. Et certè id eſſet factum, ſi nobis non conſtitiſſet, in hoc ferè omnes à te diſſentire, & te vnius, vel alterius indignatione, vniuerſalem protuliſſe ſententiam: à qua ſi appellatum ſit tamquam iniqua, & iniuſta, æquo animo feras, cum appellationem admittat iuſtitia, & iudex

abſque

abſque vehementi animi motu. Et ne putes, id ſine cauſa factum; animaduerſionem nominis Pharmacopolæ, & Seplaſiarii mittimus; quam leges, ſi non approbes. Sed credimus, te Artis Medicæ patronum, nobiſcum eſſe ſenſurum; dum Medicorum miniſtros, & vnà artem, Medicam, immo Medicos ipſos, defendimus; quandoquidem non videatur ſtare poſſe artis Medicæ dignitas; ſi hæc habeat miniſtros infames. Vale Idibus Aprilis. M.DC.III.

NOMINIS PHARMACOPOLAE, ET SEPLASIARII ANIMADVERSIO.

CONSIDERATIONE dignum videtur, multa nomina Græca, quæ in genuina lingua melius explicant id, cuius cauſa fuere rebus impoſita, tranſiuiſſe in Latinorum coloniam: Et ne longe vagemur, habet Ars Medica tanquam Latinum, Apoplexiæ, & dyſenteriæ nomen: idemq; accidit nomini Pharmacopolæ, quod etiam fuit receptum tamquam nomen Latinũ. Sed non ſolum Latia lingua à Græcis, & alijs quamplurimis fuit ditata nominibus; ſed etiam ſe dilatauit, à locis ipſis, in quibus quid vulgare non fuerit, ſua nomina deſumendo. Habebant noſtri Romani ante Annibalis aduentum in Italiam, nomen Unguentarij: verum quia à foro Seplaſiæ fracta fuit eiuſdem Annibalis ferocia,

cia;quod contigit propter vſum vnguentorum;quæ in eo foro vendebantur; dixerunt Vnguentarios, etiam Seplaſiarios: hoc autem nomen ſignificabat artifices, qui quidem, ſicut alij Vnguentarij componebant ſua vnguenta, ſed habebant hoc peculiare, & proprium; vt alijs omnibus, molliores redderent homines. Propterea ſi quis voluerit dictorum nominum vim, & energiam exprimere,de nominibus Græcis,cum Græcis erit agendum; de Latinis cum Latinis. Nos qui Medicorum miniſtri ſumus,de nominibus Medicis cum Medico Galeno qui Græce ſcripſit, agemus,de nomine verò Seplaſiarij, quia Latinum, Gramaticis relictis, cum Lampridio, qui id Latinè vſurpauit in Heliogabali vita,pertractare conabimur. Antequam verò id exequamur,debemus quoque animaduertere,quaſdam Artes in propria origine, & principio, continuiſſe ſub ſe miniſteria multa; quorum aliqua, aliquo temporis tractu tranſcenderunt in Artes, quæ nunc nactæ fuerunt nomen diſtinctum;nunc illarum artium,quarum erant miniſteria, retinuere nomen, et ideô quod tunc tamquam indiuiſum continebatur ab vna: nunc in partes diſtractum continetur à pluribus. Antiquo tempore Ars Medica,plura in ſe miniſteria claudebat:nam Medicus à principio, erat

& chi-

& Chirurgus, erat & Pharmacopola, & aliorum multorum miniſter. Non indiget hoc probatione, cum certum ſit Hippocratem, & Galenum exercuiſſe Chyrurgiam, & compoſuiſſe Pharmaca: idem et fecere alij quamplurimi. Hinc fit vt antiquorum nomina, ſiue hæc fuerint Græca, ſiue etiam Latina, non poßint noſtro tempore adamuſsim deſignare officium, ſicut faciebant antiquitus: quippe nomina artium, non continent nunc tot miniſteria, & hæc perſæpè retinent ipſius artis nomen; quod quando eſt alicuius miniſterium, & vnum tantum deſignat; non poteſt, nec debet, multorum explicare naturam. Vnde fit noſtro tempore, quod aliquæ Artes, olim immerſæ, actionibus corporis, aliquæ verò occupatæ rebus ſuperfluis, & luxu; ad artes liberales, & virtutes magis, magiſq. accedant, quam facerent antiquo tempore; conuerſis enim viribus ad animum, et reſecatis ſuperfluis, artes nobiliores fiunt: proinde determinandum eſt; quid Pharmacopola, & Seplaſiarius ſignificarent antiquitus; quid verò noſtris temporibus, vt videamus an horum Artes ſint redditæ magis nobiles, neceſſariæ, & vtiles.

Nominis igitur Pharmacopolæ, vt ab hoc incipiamus, fecit mentionem Galenus pluribus in locis: quibus id nomen accepit pro Medico vulgari,

& em-

& empirico; quod colligere licet ex 4. de comp. med. per gen. cap. 14. quando dicebat.
» Hic autem, quæ vix ſanabilibus (Chironia non
» nulli vocant) medentur, longo vſu, tum à præce-
» ptoribus noſtris, tum à nobis ipſis explorata: quo-
» rum nonnulla ab antiquioribus quoque viris præ-
» claris approbata ſunt: quemadmodum, & illud,
» quod in libro, cui titulus eſt Mantiæ Pharmaco-
» polæ; quem Mantiam 2. de comp. med. per loc. de-
» ſcribens; quæ Archigenes ad capitis dolorem re-
» media conſcripſerit, aſſerit fuiſſe Medicum vul-
» garem, cum dicat. Fuit itaq. Archigenes non
» quidem vulgaris Medicus, velut et Mantias, et
» Heraclides Empiricus, & 7. de comp. med. per
» loc. cap. 3. facit mentionem compoſitionis, quæ fi-
nit febrem Pamphili Pharmacopolæ, qui etiam fuit Medicus; ſed vulgaris, vt deduci poteſt ex 6. ſimpl. in prin. quo loco laudat eundem Mantiam, & reponit inter viros præclaros, quia de re herbaria ſcripſerit, de purgantibus verò, aut propoſitismis aut clyſmis ſeorſim egerit, ſeparatim deijs, quæ ſecundum locos, quos libros dicit eſſe
» legedos: fugiendos verò Pamphili libros, quia ne
» per ſomnium quidem viderit herbas, quarum fi-
» guras aggreditur perſcribere, & 5. de comp. med.
» ſec. loc. deſcribens excoriatoria lichenum, primo

,, *loco ponit excoriatorium, quo Pamphilus Romæ*
vſus; plurima lucratus eſt, cum in Vrbe Men-
tagra appellatus morbus inualeſceret, quod acci-
dit ſub Imperatore Claudio Tiberio; vt teſtatur
Plin. lib. 26. cap. 1. vt omittamus quod idem Gal.
habet 9. de comp. med. ſec. loc. cap. 4. de pharmaco
Antonij pharmacopolæ inſpertile ad coli inflatio-
nes: Sed id clariſsime aperuit primo de diebus de-
,, *cret. cap 11. quando dicebat. Comittuntur quædam*
,, *peccata ab ipſo ægroto videlicet, quædã à Medicis*
,, *his admirandis, putantibus, niſi quis introgreſſus*
,, *ad ægrũ, deinde ſuccingens ſe, vel cataplaſma im-*
,, *poſuerit; vel perfuderit etc. nihil ab ipſo geſtum*
,, *eſſe artificioſum. Hi enim quoties ægrum acce-*
,, *dunt, toties peccant, & paulo infertius. Sic itaq.*
,, *Hippocrates vndequaq. admirabilis inquit: Na*
,, *tura omnino ſufficit. Peccatur in hanc extr inje-*
,, *cus cataplasmate, inunctione, & totius, & par-*
,, *tis fotu. Sic etiam Medicum naturæ miniſtrum*
,, *appellat, re vera Medicum non Pharmacopo-*
,, *lam quedam ex triuio; ex quibus omnibus apparet*
aſſumpſiße Gal. Pharmacopolæ nomen, pro Me-
dico vulgari, & triuiali, cuius non erat mirum, ſi
quoties accedebat ad ægrotum, toties præſcriberet
aliquid; nam præterquam quod neſciebat diſtin-
guere; quando natura ſola ſufficeret, habebat

*quoq. irritamentum commodi, & vtilitatis; nam
hoc agendi genere pharmaca, quæ per ſemet com-
ponebat, & quæ non eſt veriſimile donaſſe, citius
expediebat; unde & maior ipſi accedebat vtilitas.
Et ſi condonetur nobis, traſcendere à Medicis ad
oratores ipſos, & Poetas; licebit hoc idẽ cõfirmare
,, ex Cicerone, & Horatio; nam Cic. pro cluentio in-
,, quit. Quid auiam tuam oppianice Dineã, cui tu es
,, hæres; pater tuus non manifeſto necauit? ad quam
,, cum adduxiſſet medicum illum ſuum cognitum, et
,, ſæpè victorẽ, per quẽ interfecerat plurimos: mulier
,, exclamabat ſe abeò nullo modo velle curari, quo
,, curante ſuos omnes perdidiſſet. Tum repentè An
,, conitanum quendam l. Clodium Pharmacopolam
,, circumforaneum, quem caſu, tùm larinum veniſ-
,, ſet; aggreditur, & cum eo HS. quadrigentis,
,, idquod ipſius tabulis tunc eſt demoſtratum, tran-
,, ſigit. l. Clodius, qui properaret, cui fora multa
,, reſtarent, ſimulatq. introductus eſt rem conficit:
,, prima potiene mulierem ſuſtulit. Neque poſtea
larini punctum eſt temporis commoratus; ex quo
loco liquidò conſtat, aſſumpſiſſe Ciceronem nomen
Pharmacopolæ pro Medico circumforaneo, &
in illa actione veneficum. Horatius quoq primo
ſerm. ſat. 2. accepit prædictum nomen pro medi-
co vulgari, cum dicit Ambubaiarum collegia,*

 phar-

Pharmacopolæ, mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne, Maſtum; ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli: Quippe benignus erat, &c. nam Medici illi vulgares, & Empirici, vt erat Mantias de quo ſupra, & qui viuebat Horatij tempore, multa lucrabantur dum viueret ipſe Tigellus; ſcilicet expediendo ſua pharmaca, nunc pro rauca voce clarificanda, nunc veró pro recuperanda quando eſſet amiſſa; quo lucro ceſſante per mortem ipſius Tigelli, non mirum ſi eſſent maeſti, quod etiam videtur veriſimile; tum quia benignus erat, vt dicit idem Horatius, tum quia gulae indulgebat, ex quo diuerſi morbi, et ex his medicorum vtilitas, quod licet ex ipſomet Horatio colligere, quia ſubiungit: Hunc ſi percontteris, aui cur, atque parentis, Præclaram ingrata ſtringat malus ingluuie rem, omnia conductis coemens obſonia nummis: ſordidus, atque animi quod parui nolit haberi reſpondet, His addere etiã poſſumus, quod plura arteriaca tunc tẽporis erant pro voce deſcripta, & in vſu, vt videre eſt apud Gal. 7. de com. med. ſe. loc. cap. 1. quãdo dicebat. Et ſanè ita faciunt Phonaſchi, qui magno vocis exercitio vtuntur, cum contendendo obleſerint vocem (ſunt autem hi Citharedi, et præcones, & tragœdiam, ac comœdiam perſonati repreſentantes) balneis enim

,, enim multis vtuntur, et cibos lenes, & laxantes
,, edunt. Et inferius. Quod ſi ex victu, & bal-
,, neis chorica affectio non ſedetur in organis vocis,
,, ad arteriacas tranſeunt, per totum hoc tempus ci-
,, bis vtentes, qui ex lactè, amilo, alica, ouis, et dul-
,, ciarijs libis componuntur; ſi verò per hæc non cu
,, rentur, inuenta ſunt à Medicis pharmaca ſub lin
,, gua tenenda, inde etiam hypoglottides appellata,
,, & cap. 2. eiuſdem libri deſcribit confectionem ar-
teriacam Heraclidis tarentini, qui fuit diſcipu-
lus eiuſdem Mantia: quare cum ſit veriſimile,
quod ex magno vocis exercitio oblederet vocem,
conſentanemm quoque eſt, quod eſſet ſuis Medi-
cis liberalis, & magnificus. Et quod prædictus,
cantor vteretur magno vocis exercitio, habet idem
,, Horatius 1. ſerm. ſat. 3. in principio quando dixit;
,, Omnibus hoc vitium cantoribus inter amicos, vt
,, nunquam inducant animum cantare rogati: In-
,, iuſsi nunquam deſiſtant: ſardus habebat ille Ti-
,, gellus hoc. Cæſar, qui cogere poſſet, ſi peteret per
,, amicitiam patris, atque ſuam, non quicquam pro-
,, ficeret: ſi collibuiſſet ab ouo, vſque ad mala cita-
,, ret. Io. Bacche, modo ſumma voce, modo hac re-
,, ſonans, quæ cordis quatuor ima. Quare cum Ho-
ratius ſcripſerit ferè eodem tempore, quo Cicero,
immo & fere eodem, quo Mantias, qui præceſſe-

rat

rat Antonium Muſam; qui vixit ſub Octauiano Auguſto; dicendum videtur, hos viros eodem modo ſumpſiſſe Pharmacopole nomen, & ſic pro Medico vulgari, & Empirico, qui potius dicendus erat venditor pharmacorum, quam reuera Medicus, & naturæ miniſter. Sed non videtur præter eundum; vt obiter hoc attingamus; Horatium loco citato connumeraſſe quidem Pharmacopolas cum multis alijs mechanicis, & aliquibus etiam infamibus, ſed nō propterea ex eo deduci poteſt (vt aliqui putarunt) Pharmacopolas, tamquam infames, à dicto Poeta, connumeratos fuiſſe cum infamibus; aliud enim eſt connumerari inter infames, aliud cum infamibus; hoc enim non dicit infamiam: illud verò neceſſario, et ſi velimus Horatium per ipſummet exponere, habemus 2. ſerm. ſat. 3. huiuſce rei exemplum, nam connumerat aliquos infames cum multis: qui nullo modo erant
,, infames, quando dicebat. Hic ſimul accepit pa-
,, trimoni mille talenta, Edicit, piſcator vti, poma-
,, rius, auceps, Vnguentarius, ac Tuſci turba impia
,, vici, cum ſcurris fartor, cum velabro omne ma-
,, cellum, mane domum veniant: Ex quo loco appa-
ret, connumeraſſe turbam impiam vici: quæ continebat lenones, et meretrices: & ſcurras ipſos, cum multis qui omnino non erant infames: Quis enim

dice-

dicerct, Piſcatorem, Pomarium, aucupem, Vnguentarium, & omne Macellum, quod continebat omnes artes: fuiſſe omnes infames? & quod turba illa impia Tuſci vici, contineret lenones, et meretrices colligitur ex verbis, quæ ſubdit. Quid
,, tùm? venere frequentes. Verba fecit leno. Quic-
,, quid mihi, quicquid & horum cuiq. domi eſt, id
,, crede tuum: vel nunc pete, vel cras, & in hoc concedatur nobis non ſentire cum interpretibus, qui nomen Pharmacopolæ poſitum in dicta Satira dicunt ſignificare Vnguentarium: hic enim habet nomen, & officium diſtinctum ab ipſomet Pharmacopola: nam unguentarij teſte Gal. 1. de Antid. cap. 5. aliquas virides herbas non cognoſcebant quod faciebant Pharmacopolæ, vt erat ille Mantias, qui de re herbaria ſcripſit. Non negaremus tamen unguentarios potuiſſe eſſe mæſtos ex morte ipſius Tigilli, quia & his eſſet vtilis unguenta coemendo, & ipſa arteriaca, quæ etiam credibile eſt unguentarios compoſuiſſe, ſicut & componebant Theriacam, dummodo & hoc concedatur: Horatium id feciſſe (ſi taliter dictum nomen vſurpauit) ſoluta licentia poetica, & poſſe eundem exponi, & benè ſi dicatur, intellexiſſe illos Medicos uulgares, hosq. non taxaſſe infamia.

Nomen ſeplaſiarij, ut diximus, traxit origi-

nem

nem à foro Capuæ ſeplaſia dicto, in quo foro fiebāt unguenta, quæ Plin. lib. 13. cap. 1. dixit olim fuiſſe
» *multi nominis. Irinum, inquit, unguentum diu*
» *maximè placuit, poſtea Cizici: ſimili modo Rho-*
» *dinum Phaſeli, quam gloriam abſtulere Neapo-*
» *lis, Capua, Præneſte. Cum igitur unguentarij eſ-*
» *ſent Romæ ante Annibalis aduentum, uidendum eſt quid exercerent huiuſmodi artifices, ut ſciamus an differant à ſeplaſiarijs re, et exercitio, ſicut differunt nomine; hoc enim declarato, lampridij ſententiam explicabimus. Seplaſiarios, ſeu artem ſeplaſiæ in alijs rebus ſe occupaſſe ab unguentis, colligitur ex Plin. lib. 34 cap. 11. Cum in-*
» *quit Medici credunt ſeplaſiae, & inferius: fa-*
» *ctaq. iampridem emplaſtra, & colliria mercan-*
» *tur, tabeſq. mercium, ex quo loco habemus Veſpeſiani tempore; ſub quo Plinius ſcripſit, ſeplaſiam præter unguenta compoſuiſſe colliria, & emplaſtra, & Gal. qui ſub Antonino, & Commodo Imperatoribus uixit, primo de Antid. cap. 4. inquit theriacam componere non ſolum optimos quoſquè Medicos, ſed etiam miropolas, ut uertit Andernacus, ſed etiam unguentarios, ut uertit optime Rota, nam: Miropola enim Græcè unguentarium ſignificat: ex quibus ſaltem habemus, Artem unguentariam, & ſeplaſiariā ijſdem praedictis temporibus*

poribus fuiſſe occupatam, & propterea tunc temporis idem fuiſſe vnguentarium, & ſeplaſiarium; Et licet prædicti artifices exercerent dicta miniſteria; tamen quia componere, & vendere pharmaca, eorum arti poſtea acceſsit, cum id eſſet antiquiſsimo tempore medicorũ officium; vt notat Plinius loco proxime citato, retinuerunt ijdem, vnguentarij nomen, licet vt Pharmaca componentes, & vendentes, poſſent aliquomodo appellari Pharmacopolæ, ſed quia vt diximus ſuperius, ex Gal. vnguentarij Romani, cognoſcebant quidem Creta allatas herbas; et ipſarum ſemina, non paucas tamen in ſuburbanis Vrbis naſcentes, prorſus ignorabant & idcirco, nec quo tempore ſemen ferrent, obſeruabant; quod faciebant Pharmacopolæ, vt diximus de Mantia; propterea vnguentarij, retinuerunt proprium nomen, abſq. aliqua additione; Pharmacopolæ autem, ſeu herbarij, & ſuum conſeruarunt: quo loco, & hoc adnotandum videtur, pharmacopolam non ſolum denotare Medicum vulgarem, et Empiricum; ſed prætera herbarium, ſeu medicamentarium, ſic dictum à materia; Nã Chiron, quia fuit repertor herbariæ, & medicamentariæ, vt teſtatur Plin. lib. 7. c. 56. erat medicamentarius, non tamen erat ſimpliciter uẽditor ſimpliciũ, aut compoſitorum pharmacorũ; ſed

Medicus à materia ſic dictus, vt manuarius ab actione dicitur, & ocularius ab oculis, vt voluit Gal. l. ad Traſib. cap. 24. Vtcumque tamē ſit, hæc munia exercentes, tam pharmacopolæ, quam vnguentarij, ſeu ſeplaſiarij antiquo tempore Galeni, erant Medicorum miniſtri, vt habet ipſe Gal.
,, *6. Epid. com. 5. tex. 1. quando dicebat. Quam*
,, *enim proportionem Architectus erga Ædificato-*
,, *res, lignarioſq. fabros, et alios quibus imperat Ar*
,, *tifices, eandem & Medicus circa miniſtros ſuos*
,, *gerit. Iſti verò ſunt herbarij vnguentarij, &c.*
,, *Et inferius. At ſi nos hæc etiam didicimus, & fa-*
,, *cimus; perinde facimus, atque gubernator remi-*
,, *gandi peritus, & facile ſummum malum conſcen*
,, *dere valens, & omnia alia nautarum munera*
,, *cognoſcens, & exequens, & inferius. Itaq. & nos,*
,, *vt Medici cuiuſcumq. auxilij qualitatem quan-*
,, *titatem, occaſionem, & vtendi modum cognoſci-*
,, *mus, vt miniſtri verò venam reſcindimus, &c.*
,, *ex quo loco ſatis apparet herbarios, & vnguentarios fuiſſe Medicorum miniſtros; ſed hos ſimpliciter miniſtros, illos verò, & miniſtros, & Medicos, vt diximus de Mantia; & Pamphilo, qui, et herbarij, & Medici erant, & componentes pharmaca, vt de ſeipſo, & Demetrio teſtatur Gal. 1. de Antid. cap. 1. An vero vnguentarij, ſeu ſeplaſia-*

rij

rii eſſent illimet, quos Gal. 1. de Antid. cap. 2. & 3. de comp. med. pergen. cap. 3 et 4 de comp. med. pergen. cap. 5 dixit ῥωποπώλας, habet non paruam dif-
,, *ficultatem, nam Rota vertit illud primo de An-*
,, *tid. vnguentarium, cum inquit. Quamobrem*
,, *Romæ ſi quis vnguentarios adeat; qui ſingulis qui-*
,, *buſque annis vaſa illa textilia herbarum plena*
,, *emunt ab eis primo hæc cognoſcere poterit. An-*
,, *dernacus locum de antidotis vertit. Quare ab*
,, *vnguentorum inſtitoribus Romanis, &c. locum*
,, *uero. 3. de comp. med. pergen. cap. 3 vertit. Ex ha-*
,, *rum genere larix quoq. eſt, prædictis planè humi-*
,, *dior: conſiſtentia verò ſimilis liquidæ piceæ, quam*
,, *loco therebintinæ inſtitores vendunt ignorantibus*
,, *ea diſcernere, &c. locum vero 4. de comp. med.*
,, *pergen. cap. 5. vertit, & credunt inſtitoribus ve-*
,, *tus oleum ſe dare affirmantibus. Si tamen liceret noſtram interponere ſententiam; cum hoc nomen Ropopola (liceat nobis pro nunc ipſum aſſumere tamquam nomen latinum) ſignificet minutarum, et omne genus rerum venditorē: crederemus Ropopolæ artem fuiſſe diſtinctam re, ſicut erat diſtincta nomine; ad eum modum, quo noſtro tempore diſtinguuntur appellati Aromatarii, & Drogherii, ij enim vendunt minuta, & omne genus rerum, ſed omnia ſimplicia, ſicut veriſimile eſt fe-*

 ciſſe

ciſſe Ropopolas; qui emebant uaſa illa teſtilia herbarum plena: de quibus dixit Gal. loco ſupracitato de Antidotis: cuius exercitii erat fortè ille Euphrates Catholicus: de quo idem Galenus primo de Antid. in principio fecit mentionem, quem
» *locum Rota uertit hoc modo. Verum quia Im-*
» *perator antidotum laudabat à Demetrio Medi-*
» *corum primario confectum, eo uita functo, Eu-*
» *phrati materia Medica uenditori, à quo ſimpli-*
» *ces omnes medicinas ad Theriacam conficien-*
» *dam emebat, per litteras ſignificauit. etc. Ander-*
» *nacus autem, poſt mortem ipſius litteris ad Eu-*
» *phratem Catholicum, &c. Ex quo loco habemus*
» *Euphratem talem habuiſſe omnia ſimplicia apta*
ad compoſitionem theriacæ; & ſicut habebat pro theriaca, ueriſimile eſt habuiſſe, & pro aliis compoſitionibus, & propterea iure erat appellandus Catholicus, ideſt uniuerſalis uenditor materiæ Medicæ, cuiuſmodi ſunt noſtri Drogherii, à quibus nos Aromatarii, accipimus multa pharmaca, et quæ ab iiſdem non poſſumus coemere, ſolemus Venetiis cõmittere, ubi Drogherii ſunt abundantiores, & sic magis uniuerſales: si uerò placeat uerſio Andernaci; adderemus quod Ropopola, erat præpoſitus negotiationi medicæ materiæ, non tamen unguentarius; ſeu præpoſitus negotia-

tioni

tioni unguentorum: nec uidemus quid huic ſenſui reclamet. Ex his poteſt concludi Artem pharmacopolarum, & Artem vnguentariam, ſeu ſeplaſiariam non fuiſſe abiectas, & infames, imo honeſtas, & magnificas, et de Pharmacopolis patet, quia vt Medici, et vt componentes, aut vendentes pharmaca, erant viri præclari; de vnguentarijs etiam eſt clariſſimum, quia hi erant medicorum miniſtri, & componentes, & vendentes pharmaca, exercebant officium medicorum, et ſic nobile officium: vt verò ſola vnguenta, hæc quoq. à Medicis ipſis fuere introducta ad ſanitatem, et ſic ad rem honeſtam, & commodam; hæc igitur etiam Ars erat honeſta, niſi velimus dicere Medicos exercuiſſe antiquitus officium infame, habuiſſe miniſtros infames, et introduxiſſe vnguenta, quæ non facerent ad honeſtum, et commodum; quæ omnia longe abſunt à verò. Nec nos mouet dictum Lampridij in vita Heliogabali, cuius deſcribens vitam inquit,
„ pinxit ſe vt cupedinarium,
„ vt ſeplaſiarium, vt popinarium, vt tabernarium,
„ vt lenonem, ex quo loco forte quis poſſet putare,
„ Lampridium de ſeplaſiarijs, ſeu vnguentarijs ſiniſtram habuiſſe ſententiam, ſed ſi attentè legatur, quod habet lampridius; ſine dubio conſtabit, non voluiſſe taxare ſeplaſiariam artem, aut ipſos

ſepla-

ſeplaſiarios, ſed ipſum Imperatorem: qui adeo nataret vnguentis, & illis redoleret, vt faciebant ſeplaſiarij, & ideò pinxit ſe, vt ſeplaſiarium, quod erat in Imperatore vitium, quod arguebat luxũ, qui non arguitur in ipſiſmet ſeplaſiarijs: hi enim ſi redoleant vnguentis, id accidit, quia eadem de neceſsitate tractant, non quia intendant iiſdem re dolere: imò videtur credibile; ſeplaſiarios noluiſſe, dum conficerent ſua vnguenta, aliquid tranſfundi in propria corpora: ne minueretur pondus, & vtilitas, & propterea ratione finis; qui in Heliogabalo erat malus; in ipſo, ita ſe pingere erat inhoneſtum; in ſeplaſiariis verò neceſſarium, & commodum ſibi, & Reipublicæ; quod colligitur
„ *ex verbis ipſius Lampridii immediate ſequenti-*
„ *bus, idq. totum domi ſemper exercuit, quod & ſi*
„ *ſufficeret, afferenda ſunt etiam verba anteceden-*
„ *tia, & ſubſequentia, ex quibus melius appareat*
„ *ſenſus dictorum verborum. Hic inquit non niſi vn*
„ *guento nobili, aut croco piſcinis infectis natauit co-*
„ *medit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea ca-*
„ *melorum, & criſtas viuis Gallinaceis dẽptas, lin-*
„ *guas Pauonum, & Luſciniarum, quod qui ede-*
„ *ret Epilepſia tutus diceretur. Exhibuit, & Pa-*
„ *latinis ingentes dapes extis mullorum refertas, &*
„ *cerebellis phaenicopterum, & perdicum ouis, &*

cere-

„ *cerebellis turdorum, & capitibus pſitacorum, & fasianorum, et pauonum Barbas ſanè mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pronaſcentis apiaſteris, & facelaribus, & fano graco exhiberet plenis fabatarys, & diſcis, quod pracipuè ſtupendum eſt. Canes iocinoribus anſerum pauit. Momentarias de roſato, & roſis piſcinas exhibuit, & bibit cum omnibus ſuis caldaria de nardo exhibens, & inferius lupanaria domi amicis, clyentibus, & ſeruis exhibuit. Omnes de circo, de Theatro, de ſtadio, et omnibus locis, & balneis, meretrices collegit in ades publicas, & apud eas concionem habuit quaſi militarem, dicens eas commilitones; qua oratio in lucem data ab Egnatio de anno 1519. adhuc legi poteſt, licet ex eius ſententia fuerit composita à Leonardo Aretino, ſed recitata ab Heliogabalo, & inferius quod magis facit ad rem. Proponebat his quaſi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent, et cuius placuiſſet commentum, ei dabat maximum pramium, ita vt ad ſericam veſtem donaret, qua tunc in raritate videbatur, & in honore. Si autem aliquis diſplicuiſſet, iubebat, vt ſemper id comediſſet, quandiu tamen melius in ueniret. Amabat pratia rerum ſibi maiora dici, qua menſa parabantur, orexim conuiuio hanc eſſe ad*

ferens

,, ſerens : pinxit ſe ut cupidinarium, ut ſeplaſia-
,, rium,ut popinarium,ut tabernarium,ut lenonem,
,, idq. totum domi ſemper exercuit ſexcentorum
,, ſtruthionum capita una cena multis exhibuit ad
,, edenda cerebella. Exhibuit,& aliquando tale
,, conuiuium, ut haberet uiginti, & duo fercula in-
,, gentium epularum;ſed per singula lauarent, &
,, mulieribus uterentur, & ipſe, & amici cum iure-
,, iurando,quod efficerent uoluptatem. Et tandem
,, inferius habet. Sybariticum miſſum ſemper ha-
,, buit ex oleo, et garo, quem quo anno ſybaritæ re-
,, pererunt; perierunt. Quis non uidet,quod totum
,, ſe pinxerit cupidinarium, popinarium, et taber-
narium in tot, & tantis conuiuiis, & ferculis? Quis non percipit ſeplaſiarium totum, cum nataret unguento? Et quis non diceret lenonem: cum lupanaria domi, amicis, et clientibus, & ſeruis exhibuerit? Quæ omnia, & singula in ipſo Heliogabalo erant uitioſiſſima, quia erant in exceſſu,non in mediocritate: cum qua ars tabernaria, popinaria, cupedinaria, & ſeplaſiaria, ſuo loco, & tempore erant ſatis honeſta, & neceſſaria principibus, ſicut & ſunt aliquæ harum hodie ſatis ſuperq. honeſtæ, niſi velimus arguere noſtros Principes, quod habeant popinarios, & cupedinarios; quod non videtur dicendum. An quia

vinum

vinum inebriat, & ebrij non bene audiunt, qui vinum vendunt, debent male audiri? non certè, hæc enim Ars non præcipit exceſſum in vino, ſicut nec cupedinaria, & popinaria in delicioſis cibis: Artifex igitur eſt, qui vt obediat imperanti, traſcendit neceſſitatem, & proprios limites artis; quos cum non traſcendant omnes, non debent omnes damnari. Propterea, quod Lampridus has artes, ſeu miniſteria adiunxerit lenonibus, quorum ars ſemper erat infamis, non eſt dicendum, & illas fuiſſe infames, vt diximus ſuperius. Exceſſus igitur circa fercula, & vnguenta erat vitioſus in Heliogabalo non autem moderantia, quæ ſolum intenditur ab arte, cum hæc, ſit habitus recta ratione factiuus: Pinxit igitur ſe Heliogabalus, vt popinarium, vt cupedinarium, vt tabernarium, & vt ſeplaſiarium; quia aliis rebus, vt harum artifices, non erat occupatus, imo iiſdem domi ſemper erat immerſus; pinxit ſe vt lenonem; quia lupanaria domi, amicis, clyentibus, & ſeruis ſemper exhibuit, vt diximus ſuperius. Quare cum tabernarij, popinarij, cupedinarij, & ſeplaſiarij, eſſent viri honeſti, quia honeſtam artem exercebant, non videntur notati à Lampridio; alias ſeplaſiarij, qui erant Medicorum miniſtri,

detraxiſſent artis Medicæ dignitati, & hæc habuiſſet miniſtros infames; et ideo eo honore indigna; quo dignam putauit ſacra ſcriptura, quod non videtur dicendum. Et tandem ſi dicamus aſſumpſiſſe Lampridium nomen ſemplaſiarij pro vnctore, quid eſt quod reclamet? Cum etenim credibile non ſit, pingendo ſe totum ſeplaſiarium, exercuiſſe artem vnguentariam, componendo, & vendendo; ſed potius diſſipando vnguenta in balneis, ſeipſum, & alios vngendo, potius id denotat vnctorem, quam verè vnguentarium; quod & licet haurire ex Lampridio, qui inferius ſubdit, in balneis ſemper cum mulieribus fuit ita, vt eas ipſe pſilotro curaret, & ideo exercuit officium vn-
,, *ctoris, quem Perſius ſat. 4. vocauit Paleſtritem;*
,, *quando dicebat. Tu cum maxillis balanatum*
,, *gauſape pectas, inguinibus quare detonſus gurgu-*
,, *lio extat? Quinque Paleſtritæ licet hæc planta-*
,, *ria vellant, elixaſq. nates labefactent forcipe ad*
,, *vnca: Non tamen iſta filix vllo manſueſcit ara-*
,, *tro; de quo vnctore fecit mentionem Iuuenalis ſat. 6. & vocauit Aliptam, ſicut vocauit Cornelius Celſus lib. 1. Ex his vt tandem concludamus, videtur omnino dicendum, pharmacopolam antiquitus, ſignificaſſe medicum vulgarē, et herbarium;*

ſepla-

ſeplaſiarium verò denotaſſe vnguentarium, illoſq. non fuiſſe ab Horatio taxatos; hos verò ad modum explicatum, nec notatos à lampridio, etiam ſi intelligamus vnctorem, nam non omnes vnctores erat infames ſuo tempore, ſed illi ſolum, qui meretricibus in balneis ſeruiebant, quippe Heliogabali tempore balnea erant promiſcua viris, & mulieribus, & cum meretricibus ſe balneabant viri, libidinis cauſa, ad quod alludere videtur, Martialis, quando dicebat. Omnia famineis quare dilecta cateruis. Balnea deuitat Blatera? Cum te lucerna balneator extincta, admittat inter buſtuarias mechas; qui certè vnctores videbantur infames, & ideo Alexander ſeuerus, vt Capitolinus refert, prohibuit promiſcua balnea ab Heliogabalo renouata, & poſtea lex cenſoria fuit lata, vt mulieres promiſcuis balneis abſtinerent, nec commune lauacrum cum viris libidinis cauſa intrarent, ſub repudij, & dotis amiſſionis pœna, quod poſtea in l.fin.ff.tit.de repud. & in Auth. de nuptijs pro ſancito fuit receptum, et hæc de tempore antiquo, et antiqua ſignificatione nominis pharmacopolæ, & ſeplaſiarij.

Noſtro tempore Pharmacopola, non ſignificat Medicum, quia Medicus nunc medica-

menta non componit, & minus ea vendit; imo nec dicit Chirurgum, quia hic diſtinctus à Medico: qui nunc magis diſceſsit ab actionibus corporis, et acceſsit ad actiones animi, quo fit vt hodie ars medica accedat magis ad liberales artes, quã faceret antiquo tempore, et potius horum officium, translatũ eſt in nos Aromatorios, qui propriè, nec ſumus vnguentarij ſeu ſeplaſiarij, quia deſiere tot vnguenta antiqua cum defectu balneorũ, & ſolũ nos exercemus: quod principaliter Medici herbarij faciebant; & ſecundario vnguentarij, & ideo Aromatarij noſtro tempore & cognoſcunt ſimplicia viridia, ſicut cognoſcebant Medici herbarij, quod aberat ab vnguentariis, & præterea principalitər componimus, & vendimus pharmaca, quod minus principaliter ſeplaſiariis acceſſerat, et tandem abſtinemus ab vnguentis illis, quæ videntur. nunc fuiſſe ad luxum, & ea ſolum componimus: quæ faciunt ad ſanitatẽ: quo fit vt hæc Ars Aromataria tranſcenderit à ſecundo loco, quem ei aſsignauit Galenus: ad primum: nempe ad ipſos medicamentarios, & pharmacopolas, & ideo reddita eſt hæc Ars nunc magis nobilis, et honeſta, et huius etiam artifices, habentur in honore: quod & cognouere Ciuitatum Senatus, qui nos

nunc

nunc admittunt ad principalia Ciuium officia, & Principes ipſi, qui propriam vitam in noſtris manibus, non verentur reponere: vt taceamus quod Religio Chriſtiana, & optima Principum conſtitutiones conſeruant, & efficiunt Aromatarios bonos, & peritos, iubentes nos ſubici examini, antequam exerceamus artem, & ſimplicia, & compoſita ſingulis annis viſitari, nec non approbari compoſitiones faciendas, quorum omnium officium, & authoritatem contulere Principes in Medicos peritiſsimos, & bonos. Quare noſtro tempore valere poteſt Plinius qui etiam temere taxauit antiquam ſeplaſiam, cum potius debuiſſet notare Artifices, non Artem, quæ vt diximus ſemper bona eſt: ſed non mirandum de Plinio, qui & Artem medicam conatus eſt taxare attribuendo arti, quod erat attribuendum artifici, cuius vitium nullo modo redundat in artem: alias mali Chriſtiani polluerent religionem ſanctiſsimam quod nullo modo eſt admittendum, cum hæc efficiat optimos. Et ideo licet in viſitationibus Aromatariorum alicuius deſideretur, & fides, & diligentia ipſa, hæc tamen cum illa reperitur in multis, nec paucorum delictum, debet nocere pluribus. Et tandem poteſt concludi, & firmari

dicta

dicta antiquorum, non poſſe propter dictas cauſas adaptari noſtris tẽporibus, et artibus niſi velimus cum Tacito lib. 15. dicere Religionem Chriſtianã eſſe exitiabilem ſuperſtitionem, erumpentem non ſolum per Iudeam originem huius mali, vt ipſe inquit, ſed per Vrbem, quà vndique atrocia, & pudibunda dixit confluere, quod eſt omnino exe-crandum; imò et liceret noſtro tempore, mulieribus indigenis, ſemel in vita cum externis habere conſuetudinem, quia id Babiloniјs erat licitum, imò et lege cautum vt libro primo teſtatur Herodotus, & ne fabula putetur, hoc idem narrat de ijſdem ſacra Scriptura apud Baruch. cap. 6. quando habet.

„ *Mulieres autem circundatæ funibus in vijs ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum. Cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proxima ſuæ exprobat: quod ea non ſit digna habita ſicut ipſa, neque funis eius diſruptus ſit; quod tamen veteri, & nouo teſtamento repugnat.*

Et hæc ſufficiant ei, qui paucis contentus viuit, nam qui multa deſiderat expectet neceſſe eſt, vel certè vt eadem ipſemet inquirat, quæ ſi reperta meliora proferat, eis ſubſcribemus libenter. Interim, & hoc pro coronide addamus, vnguenta antiquitus fuiſſe

admiſſa

admiſſa inter laudatiſsima, & honeſtiſsima vitæ bona, vt ipſemet Plinius affirmat libro 13. cap. primo. Quod certe non eſſet dicendum; ſi vnguentorum artifices fuiſſent infames, & viles. Ex quibus forte motus Dion Niceus, in Epitome, & vita Heliogabali, ſub nomine Sardanapali; dum ſcribit hunc ſolitum introiſſe de nocte tabernas, & fictis pileis tabernarij exercuiſſe officium: omiſit, eundem ſe pinxiſſe, vt ſeplaſiarium; nec aliam ob cauſam credendum, (ſi & hoc factitaſſe putemus, ſicut domi feciſſe retulit ipſe Lampridius) quam quod placuerit ea ſolum referre; quæ indigna uiderentur Imperatoris perſona. Lambinus quoque; quia putauit Horatii tempore, unguentarios fuiſſe honeſtiſſimos, contra alios interpetres dixit Pharmacopolas poſitos in dicta Satira, fuiſſe circulatores, non autem unguentarios: cuius ſenſum ſi admiſerimus: quem & admiſit Cicero loco ſupra citato: Sicut dictum Horatij tunc temporis non carpebat uere Pharmacopolas, aut unguentarios; ita & nunc uidetur minus tangere poſſe nos Aromatarios. Quare donic Archiatrorum Collegium habuerit Medicos; qui habuerint notitiam omnium ſtirpium, ut uoluit habere Gal.

primo

primo de Antid. cap. 5. uel certe plurium; quibus frequenter utimur: dubitandum non eſt; quin piceam ponamus pro thure, aut æs pro eiuſdem flore: quæ contra utroſque oppoſuit ipſemet Plinius: & ſi quandoque alicuius malitia, aut ignorantia, hoc idem contigerit; id imputetur artifici non arti, ut toties fuit dictum.

MARSILIVS CAGNATVS VNIVERSITATIS AROMATARIORVM VRBIS CONSVLIBVS FAELICITATEM.

EXORTA olim controuerſia de Ligno Sancto vocato; cum viſum eſſet ad munus; quod eo tempore gerebam, vt de ligno eodem aliquid literis traderem, impetu quodam animi, & ardore tractus; quod ex veſtris collegis non nulli; be-

E

ne

ne licet ſuæ artis periti, & ſolertes, in eadem controuerſia ſibi plus, quam par nobis videretur, aſſumerent; De pharmacopolarum officio pauca quædam exaraui, quæ impreſſa, nondum tamen vulgata (erant enim errata librariorum quædam corrigenda, & non nulla, quæ vt meum, ſic aliorum animum offendere poterant, interpretanda) vobis me inſcio tradita ſunt: At qui in eis quoniam de veſtra profeſſione aliquid minus honeſte dixiſſe, & non nihil de eiuſdem dignitate viderer detraxiſſe; de vobis autem profeſſoribus parum honorifica verba feciſſe; propterea euenit me male apud omnes veſtræ vniuerſitatis homines (vt relatum eſt mihi) audiuiſſe; Quod ſi me grauiter tuliſſe dixero, non mentiar; cum nihil minus cogitauerim, quinimo perſuaſerim mihi futurum, vt pro veſtra æquitate ijs, quæ malorum dumtaxat pharmacopolarum occaſione dicta ſunt, æqui boniq. conſuleretis: Sed quia rem præter animi mei ſententiam cecidiſſe video; cum hinc mutuæ potius inter nos offenſioni datus videatur inopinato locus: coactus ſum, his breuiter ad vos litteris, meorum verborum ſenſum planum, & explicitum, facere: Sum profeſſus, ac repeto, Reipublicæ expedire

bonos

bonos eſſe viros pharmacopolas, vt ſint egris parata, & in promptu omnis generis medicamenta; quod munus cum peculiarem quandam deſideret exercitationem, Medici viſitationibus, & grauioribus quoque ſtudijs diſtricti, explere non poſſunt; huiuſmodi autem pharmacopolas cum alibi reperiri, tum in Vrbe potiſſimum affirmo. Quod ſi quis ex Plinio dicat, olim male pharmacopolas audiuiſſe; non eſt in malam partem accipiendum, quia licet ob fallendi, vt in aliquibus alijs artibus, occaſionem, aliquorum fides ſuſpecta eſſe poſsit, hoc tamen non efficit, quin vniuerſim viri boni ſint pharmacopolæ & quin citra ſuſpitionem illis credere liceat. Nec de ea re ſcriptũ eſt a me vt dignitati, & integritati pharmacopolarum, aut ſaltem arti quæ honeſta ſemper eſt habita, turpis aliqua nota inureretur, ſed vt ſolum pharmacopolas hortarer ad ſuum munus cumulatius obeundum. Illud vero, quod acerbius dici viſum eſt, ſeplaſiam ab artibus liberalibus ſemotam inter abiectas, & humiles habitam; ita dictum eſt a me, vt non quid ego ſentiam, ſed quod ex veterum commentarijs accipi, & ſi perperam poſſet aduerterem. Quemadmodum nec de eo ſententiam dixi meam, quod

Lampridius, ſeplaſiarium, & Horatius, pharmacopolam, cum vidioribus quarundam artium profeſſoribus commemorauerit. Quod ſi quis interpretaretur hæc a me narrata eſſe, vt tacitè ſignificarem me quoque ita ſentire; is ſciat ſe vere decipi. Illud quidem probabile mihi videbatur, pharmacopolam græcis (quia vox Græca eſt,) dictum eſſe à Latinis ſeplaſiarium: in ea tamen re ſubſcribam libenter, quod viri docti ex veteribus commentarijs iudicabunt. Vtrum verò idem ſit ſeplaſiarius a veteribus dictus, quem nos Aromatariorum vocemus: Hoc quoque pluribus non perſequar: Dicam ſolum quamuis idem eſſe ſtatuatur, tamen vt artes in dies meliorem formam accipiunt, & cumulatius perficiuntur, rem hodie ſecius multo quam olim ſe habere, quod & ſi poſſet ſilentio prætermitti tamquam notiſsimum, dicam tamen vt intelligatur me nihil a communi ſenſu alienum animo concepiſſe. Chriſtiani ſumus, & Chriſtianis imbuti moribus, ac præceptis, quorum ex præcipuis eſt, proximi dilectio, quæ fidem in primis docet habendam eſſe. Itaque nos Aromatarijs ſeu pharmacopolis noſtris fidem paſſim habemus. Seplaſiarios autem illos veteres,

quos

quos Horatius, Plinius, & Lampridius ſugillaſſe fortaſſe videntur, cum eſſent religione vera deſtituti, & de honeſtate minime ſollicitis, vnique lucro nauarent operam, iure merito ſuſpectæ fidei fuiſſe ab auctoribus indicatum eſt. Sed & illud profiteor artes etiam, quæ inter liberales locum non habent, animo libera'i, & ingenuo tractari poſſe. Nec dubium Aromatarios noſtros honeſtos eſſe homines, & pleroſque Aromatarij profeſsionem non tam fortuna, vel neceſsitate, quam voluntate, vt honeſtam ſuſcepiſſe; cum interim negare non liceat aliud alicui magis honeſtum. Itaque magni viri, & eius quidem Romani verba ſunt, quibus claudere hanc epiſtolam ſtatui.

,, *Quibus artibus aut prudentia maior ineſt, aut*
,, *non mediocris vtilitas queritur, vt Medicina,*
,, *& Architectura, vt doctrina rerum honeſta-*
,, *rum, hæ ſunt ijs, quorum ordini conueniunt honeſtæ, hæc M. Cicero de officiis ſcribens in priore libro. Scillicet pro cuiuſque dignitate aliud atque aliud honeſtius, vel minus honeſtum cenſetur. Sic itaque artem ego pharmacopolarum ex ſe licet honeſtam tamen pro ſtatu honeſtam magis aut minus honeſtam eſſe cenſeo,*

profi-

profiteorque. Hoc verò non tam ſcribo, vt ijs obtemperem, quibus non obtemperare eque nefas eſt ac periculoſum, quam vt quod ex animo ſentio palam faciam. Valete.

Marſilius Cagnatus manu propria.

F I N I S.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M Æ,

Ex Typografia Guilielmi Facciotti. M.D.C.III.

SVPERIORVM PERMISSV.